

enberg

SS.

Ed. 6

1791



1928 K 944

556

16, 21

V I T A S
VIRORVM CLARISSIMORVM
AC DOCTISSIMORVM

Q V I B V S
SVMMI IN PHILOSOPHIA HONORES
R I T V S O L E M N I

*mus
Viteberg.*

A B
ORDINE ACADEMIAE VITEBERGENSIS
PHILOSOPHICO

P R I D. K A L E N D. M A I A S
A. C. C I D I D C C L X X V I I

T R I B V T I S V N T

P R O P O S V I T
I O A N N E S C A R O L V S Z E V N I V S
P R O F. L I T T. G R. O R D. H. T. D E C A N V S.

V I T E B E R G A E

L I T T E R I S C A R O L I C H R I S T I A N I D Ü R R I L.

1 7 8 7.

VITAE
VIRORVM CLARISSIMORVM
AC DOCTISSIMORVM

QVI
SVMMI IN PHILOSOPHIA HONORE
LIT. SOLEMNI

AB
ORDINE ACADEMIAE WITTEBERGENSIS

PHILOSOPHICO

REPUBLICAE LIBERAE ET ELECTORALI

A. G. MDCCCLXXXVII

TRIBVNT SVNT

PROFESSV

IOHANNES CAROLVS SEVNIUS


PROF. LIT. GR. ORD. P. DECANVS

WITTEBERGAE

CVRIVS CAROLI CHRISTIANI PALLII

MDCC





IOANNES CSAPLOVICS

Alfó-Sztregova Hungarus,

Ecclesiae Bohemicae Zittaviensis Pastor substitutus.

Filius Georgii Csaplovics, Nobilis de Ieszenyova, natus est anno huius seculi LVIII Alfó-Sztregovae, qui est vicus Comitatus Neogradienfis in Hungaria. Primis religionis et linguae latinae elementis imbutus est a Martino Tablitzio, cuius fidem et amorem valde laudat. Inde aetatem adolescentis ingressus in gymnasium Schamnitziense patrocini aditus Ravayi se contulit. Sed cum, prohibente invidia inprimis Iesuitarum, ad superiores classes admitti non posset; inde se Gömörinam ad Kusmangium virum Reverendum contulit, cuius institutione fidelissima, quam gratissimo animo praedicat, aliquamdiu est usus. Postea Pofonii disciplina Sabelii et Sztretskii, Virorum Clarissimorum non sine magno fructu usus in Theologia, Philosophia et Historia, migravit Lipsiam, ubi per biennium, praeter Platnerum et Beckium, praepceptorem habuit Morum, cuius diligentiam et summam in docendo perspicuitatem et *ἀριστερίαν* gratus summopere laudat. Cum inde anno LXXXIII in patriam ut rediret, Zittaviam pervenisset: hic ab Amplissimo Urbis Senatu factum est, ut Viro Reverendo M. Währichio, Ecclesiae Bohemicae Pastori, quem patris loco veneratur, in Consistorio Dresdensi ante hos tres annos examinatus substitueretur. Igitur petenti summos in philosophia honores concedere non dubitavit Ordo noster.

IVLIVS FRIDERICVS KNÜPPELN

Sedino-Pomeranus,

Collegii Camerae Electoralis Marchicae Referendarius.

Natus est anno huius seculi LVII Sedini in Pomerania patre, qui in summo Camerae Collegio primam Consiliarii bellici munere functus postea



Director superior omnium per Pomeraniam fabricationum factus est. Illo autem, anno huius seculi LXXIII, mortuo, Noster domesticis praeceptoribus uti desistit, et primum in schola Sedinenſi, postea in gymnasio Ioachimico Berolinensi litteris operam dedit. Anno LXXVII Halam se contulit; ubi a Profectore Paulo inter ciues Academicos receptus, philosophiam discere, Meiero et Eberhardio ducibus coepit, historiam apud Bertramum et Thunemannum; ius civile et criminale apud Nettelbladtium aliosque. Hinc, triennio peracto, honorifico testimonio publice ornatus, Referendarius in supremo Pomeraniae Iustitiae Collegio est constitutus. Hic cum, quemadmodum ex publico testimonio intelleximus, munus sibi demandatum diligentissime et cum singulari industria gessisset; ob mutationem rerum forensium factam, suis rationibus melius se consulturum esse decrevit, si e loco, quem adhuc tenuisset, discessisset. Migravit igitur Berolinum, et mox, postquam examen rigorosum, quod vocant, in disciplinis ad politiam et res camerales pertinentibus, cum laude subierat, anno LXXXII in Camera Electorali Marchica Referendarius est constitutus. Verum cum ob ingentem Candidatorum copiam exiguam spem relictam sibi esse intellexisset, munus aliquod adipiscendi, quod suis rationibus esset accommodatum: negotiis publicis sponte abdicatis, ad vitam priuatam et philosophiam redire, et loca peregrina visere decrevit. Nostro autem nec ingenium nec doctrinam desesse, documento sunt etiam scripta, quae adhuc edidit: veluti, *Freymüthige Gedanken, Wünsche und Vorschläge über den Kindermord, und über die Mittel, denselben zu verhindern*, anno 83: it. *Bildung, Erziehung, Patriotismus* etc. Berol. 83: *Die Rechte der Natur und Menschheit* — ibid. 84: cuius pars altera prodiit Lipsiae 86: *Thomas Morus — ein Trauerspiel*, Berol. 86: et libellus, qui inscribitur, *Dem Andenken seines Königs Friedrichs des Einzigen*, Lips. 86. Quare libentissime in hunc Vitum summos in philosophia honores Ordo noster contulit.

DAVIDES GVILIELMVS SEYFFERT

Grosgottera - Thuringus.

Natus est Grosgotterae, qui vixit est prope Longosalsam, anno huius seculi LXI, patre Christ. Dauide, sacerorum ministro, matre Charita Sophia,

phia, Io. Chr. Ernesti, in dioecesi Longosalissenſi Ephori, filia. Elementa religionis et litterarum partim a patre, partim ab instructore domeſtico percepit. Poſt beneficio auiæ maternæ, cuius curam in ſe educando ſingularẽ magnis laudibus pie extollit, factum eſt, vt in ſchola Longoſaliſſenſi per ſexennium diſciplina optimorum præceptorum, Nohrii, Calerti, Kochii, Grabergi et Meineri Rectoris fruëretur. Etſi vero interim patrem optimum mors ei eripuit: prouidentia tamen Dei ei alterum quaſi parentem obtulit, Io. Fr. Ekhardum, qui Duci Vinar. et Iſen. a conſiliis eſt, et gymnaſium Iſenacenſe multo cum fructu regit. Hic enim ad illud, quo cum eo coniuñctus eſt, neceſſitudinis vinculum et ſaluberrimam bonarum litterarum inſtitutionem, multa etiam alia beneficia per quadriennium, quo illud gymnaſium illuſtre frequentauit, addidit; adeo, vt viri beneuolentiæ ſe nunquam obliturum eſſe prædicet. Huius igitur diſciplina et Schmidii, concionatoris militaris, b. Schumacheri et Tſchirpſii probe imbutus, recte anno LXXXI ad Academiam Lipſienſem, Rectore tum b. Clodio, accedere potuit. Ibi per quadriennium et quod excurrit, ab Aug. Guil. Erneſto, Prof. Eloq. auunculo ſuo tot tantisque ornatus eſt beneficiis, vt horum ſemper gratiſſimo animo ſe recordaturum eſſe ſcribat. Studiorum autem rationem ſecutus eſt hanc, vt a Gehlero matheliſi, Zwanzigero logicam, Erneſto utroque et Beckio auctorum lat. et graec. interpretationem, b. Koernerio introductionem in libros N. T. a Dathio, Moro, Erneſto P. E. et Schleuſnero exegeſin V. et N. T. a Burſchero hiſt. eccleſ. et ſacrorum emendat. a Moro thaologiam dogmaticam et moralem, denique a b. Schwarzio theol. paſtor. et artem concionandi perciperet. Præterea Güntheri, nunc Prof. iur. Helmſtad. ſcholis, quibus iſagogen in eruditionem vniũ. tradidit, interfuït. Huius conuati ſingularẽ amorem erga ſe vehementer laudat; nec tacet Weinerſii, Actuar. Conſiſt. Lipſ. et Leuthirii ICTi beneuolentiã. Peracto igitur curriculo academico, Bauerus, fabricæ acadmiæ præp. Schneebergam adminiſtrator, vir honeſtiſſimus, liberorum ſuorum educationem et inſtitutionem ei commiſit; cuius viri beneuolentiã et proſus in ipſum ſingularẽ amorem ſe nunquam ſatis prædicare poſſe fatetur. Nuper, peracto examine, in numerum R. M. Drefd. Candidatorum eſt receptus. Nobis cum diatriba, *de magna celeritate, qua doctrina euangelica, ſeu chriſtiana religio propagata eſt*, eleganter ſcripta doctrinam ſatis comprobaret: libenter honores Magiſterii ei conceſſimus.



GVSTAVVS GVILIELMVS BAVER

Schliba - Saxo.

Anno huius seculi LXV Zeudae natus est patre Frid. Ernesto, qui tunc ibi sacra ministrabat, postea pastor primarius Schmidebergae, tandem Ephorus et Praepositus apud Schlibenses factus est, quod munus adhuc cum laude administrat, atque matre Iustina Susanna, e gente Clugia, quae vero ei morte iam est erepta. Cura optimi parentis factum est, ut inde ab anno aetatis sexto fidelissimorum praeceptorum disciplina frueretur. Etenim usque ad annum decimum scholam primum Schmidebergensem, postea Schlibensem frequentavit. Inde vero praeceptore domestico Wickio, nunc pastore apud Trossinenses, usus est, qui eius animum ita literis imbuit, ut in numerum alumnorum scholae Grimmenfis recipi cum fructu posset. Hic per sexennium institutione fidelissima optimorum praeceptorum: Krebsii, Mückii, Hofmanni, Reinhardi, Hochmuthii et Richteri usus, anno seculi LXXXIV Academiam Vitebergensem, Dresdio Rectore Magnifico, adiit; ubi philosophiam a Reinhardo, Hillero et Schulzio, theologiam dogmat. et pastoraalem modumque libros N. T. recte interpretandi a Tittmanno, a Reinhardo etiam theol. dogmat. et moralem, cognitionem denique linguae Hebr. a Dresdio, Webero, Hillero et Iehnichenio percepit. Quibus omnibus gratias maximas palam agit. Ordo noster, cognita viri probitate et doctrina, summos in philosophia honores ei petenti recte tribuendos esse decrevit.

CHRISTIANVS FRIDERICVS BARTH

Annaburgensis.

Patre vitur Ioanne Christiano, qui primum sacra ministrabat et alumnos electorales in arce Annaburgica religionem docebat, postea Lampertowaldae, qui est pagus prope Haynam, sacrorum minister est factus. Ab hoc huius seculi anno LXV ex Christiana Guilielmina Thorschmidia, ante hos VI annos mortua, in arce modo dicta est susceptus. Prima religionis et litterarum fundamenta debet ipsi parenti, cuius singularem curam gratis piusque agnoscit et praedicat. Verum postea deductus a patre in scholam Haynensem, ubi per tres annos Kreiselii, Schwartzii, Schli-



Schleichii et Oehmii disciplina tanto cum fructu est usus, vt inter alumnos electorales illustris Afranei reciperetur. In quo postquam per sex fere annos institutione et disciplina Clugii, b. Gottleberi, Mülleri, Tschukii, Schregeri, b. Climmi, et Lüdikii, quorum erga se beneficia se nunquam obliturum esse praedicat, fideliter est imbutus: ante hoc triennium in Academiam Lipsiensem cuius summum tunc tenebat magistratum Wenkius, migravit. Hic operam dedit scholis Platneri philosophicis, Hadeburgii mathematicis, b. Clodii et Beckii philologicis, eiusdem Beckii et Hilscheri historicis, Burscheri, b. Körneri, b. Schwartzii, Mori, Rosenmülleri, Dathii, b. Scharfenbergii, Keilii, Waldii nunc Professoris Regiomontani, Schleusneri, nunc Theologi Goettingensis, et Wolfii theologicis. Wilandio ius naturae, et Leskio, qui nuper apud Marburgenses obiit, historiam naturalem se debere magna cum laetitia testatur, et omnino illorum virorum discipulum gratum se semper fore fatetur. Nuper igitur cum apud nos summos in philosophia honores recte et decenter ambiisset, exhibita diatriba de typographiae inuentoribus luculenter scripta: merito eius voluntati satisfaciendum esse iudicauimus.

IOANNES SAMVEL BENIAMINVS ROEBER

Schildaui - Misnicus.

Anno huius seculi LIV natus est patre Ioanne Beniamino, scholae Schildauiensis Rectore, et matre Christiana Sophia, e gente Filitia, quae ei puero nondum VII annos nato praematura morte erepta est. Quemadmodum curam parentum in ipso educando magnopere laudat: ita aui patris, qui puerum secum Numburgum duxerat, beneficia maxima pie praedicat. Hic enim eum a magistris b. Kufnero et Ridigero litterarum religionisque elementis imbuendum ita curavit, vt in Lyceum cathedrale, quod Numburgi floret, deduci posset. Hic fere per X annos Reichenbachio, Adlero, Kubitio, Beccio, Clugio, Braunio, Lobeckio, Rittero, et inter priuatos parietes Kirschio optimis vsus Doctoribus in litteris latinis, graecis, hebraeis, gallicisque haud contemnendos fecit progressus. Quare grati animi sensu horum virorum beneficia celebrat. Per hoc tempus autem cum praeter auum, ipsum egenum, neminem inueniret, qui eius paupertatem subleuaret, coactus est, per vrbs vicos singulos cantando et liberos quorundam ciuium docendo, victum necessarium sibi acquirere.



rere. Vt vero haberet, vnde in Academia Lipsiensi viueret, quam anno LXXV adiit, et a Rosio Rectore inter ciues academicos receptus est, adiutus est non modo patriae vrbis beneficiis, verum etiam S. R. Capituli Numburgensis stipendiis egregie subleuatus. Lipsiae igitur in omni theologia discenda Crusii, Ernesti, Körneri, Thalemanni et Richteri praeceptis; in interpretandis libris sacris, symbolicis et profanis Ernesti, Dathii, Mori, Boseckii, Pezoldi, Wolfii, Eccii; in philosophicis Crusii, Seidlittii, Pezoldi; in historia ciuili sacra et philosophica Burscheri, Hommeliique ius canonicum interpretantis disciplina per IV annos amplius maximo cum fructu vsus est. In aede academica diui Pauli anno LXXIX orationem latinam *de sapientia et virtute christiana verae felicitatis consequendae mediis* probabiliter habuit, atque scriptiunculas quasdam et carmina latina et germanica aliquot edidit. Quamquam animus fuit vitam suam academiae dicare; paupertate tamen pressus, patronisque optimis defunctis, amicorum hortatu rationem vitae aliam inire decreuit. Hinc a supremo Consistorio Dresdensi non sine laude examine exacto inter R. Ministerii Candidatos receptus est, et paulo post Perillustri Dominus ab Holleuffer, Dynasta superioris Nitzschkae, Burcardo-hanae, Regis Pol. et Ser. Pr. El. Sax. militum olim praefectus et Moldani Grimmenis Inspector liberorum instituendorum curam ei commisit, cum largo stipendio. Sed hunc patronum paullo post mors ei eripuit. Atque cum postea quoque vidua patroni mortua esset: contulit se Grimmam, vbi liberis instituendis per aliquot annos operam dedit. Ad singularis prouidentiae diuinae documenta refert, non modo quod optimos patronos nactus est, et semper prospera valetudine vsus, verum etiam facilius seruatus est a maximis periculis, quibus facile perire potuisset. Viri honestate et singulari doctrina cognita, quam etiam libello luculenter et pie scripto *de nonnullis rerum humanarum tolerantiae virtutibus et commodis* comprobauit, ab Ordine nostro Magistri dignitatem facile est consecutus.

CAROLVS SAMVEL LIEBENAV.

Delitio - Misnicus.

Delitium est oppidum haud ignobile circuli Misnici. Ibi Noster anno huius seculi LIX natus est patre Io. Samuele, pistore, et matre Maria Doro.



Dorothea Schumannia. Parentum cura nihil neglexit, quod ad pueritiam eius erudiendam pertinebat. Traditus enim est non modo in Bergeri scholae patriae Rectoris disciplinam, sed et Fabri Diaconi, Viri longe doctissimi, quibus et amorem litterarum se debere gratus profitetur, et ab iisdem ita institutus est, ut cum fructu inter alumnos scholae Thomanae, quae Lipsiae floret, reciperetur; ubi optimis praeceptoribus usus est Krigelio, Hofmanno, Thimio et Fischero. Anno LXXXI academiam adiit, cuius academicis adscriptus a Borzio, a quo ipso ut a Gehlero mathesin et astronomiam didicit. Historiam catholicam et ecclesiasticam debet Beckio, cuius exercitationibus latine scribendi et dicendi etiam magno cum fructu interfuit. Historiam patriam accepit ab Hilschero, naturalem a Leskio. Morum audiuit scriptores graecos et latinos librosque N. T. explicantem atque theologiam dogmaticam moralemque tradentem. Ad intelligendos libros V. et N. T. frequentavit scholas Körneri, Schwarzii, Dathii, Wolfii, Schleusneri. Philosophiam tradit ei Platnerus; Burscherum secutus est fata religionis christianae inde a temporibus Lutheri tradentem. Quo melius autem hunc academiae cursum transigeret, adiuit eum singularis Hezeri consilarii aulici liberalitas, cuius beneficiorum in se collatorum nunquam se immemorem fore proficitur. Similiter grato animo celebrat beneficia Richterii consilarii aulici, Senatus Delitiensis et Electoris Serenissimi. Exacto academiae triennio tradidit ei dominus a Rex, qui nunc Friburgi uiuit, liberos erudiendos. Quos cum duo et quod excurrit annos omni, qua poterat cura, instituit: contulit se Dresdam, ut summis iudiciis redderet rationem exacti temporis academici. Nunc filium D. Volkmani, Dynastiae Zschortauensis, erudit. Senatus urbis patriae et Antistes sacrorum ibidem pecuniis publicis largiendis ei copiam fecerunt summos in philosophia honores a nobis petendi, quos etiam, exhibito libello eleganter scripto *de crescentibus quotidie malis et decreascentibus bonis*, conferre non dubitauimus.

IOANNES CHRISTIANVS FEIGE

Citicensis.

Natus est Citici ad Elisram anno LVII patre Ioanne Theophilo carpentario, et matre Maria Christiana Langenbergeriana. Parentes optimi
B in



in illo educando et erudiendo nullis pepercerunt sumptibus. Quare puerum mature instituendum commiserunt Kretzschmaro, nunc Delitienfis scholae rectori: qui quidem fide et industria effecit, vt iam octauo aetatis anno scholam episcopalem Citici recte frequentare posset. Vfus hic est disciplina fidelissima magistrorum optimorum, quorum doctrinam, industriam, humanitatemque summis extollit laudibus. Veluti Thimii, Gelbrichtii, Schregeri et Milkii rectoris, cuius non modo publica, sed et priuata institutione ita est vsus, vt anno LXXVII, valedictione publica habita, academiam Lipsiensem recte migrare posset. Ibi interfuit scholis theologicis Ernesti, Burscheri, Thalemanni, Körneri, Schwarzii, Wolfii, Hebenstreitii et Lohdii. In hebraicis praeceptores habuit Dathium et Bofekium; in graecis Morum; in philosophicis Seidlitium Platnerumque; in mathefi Funkium. Finito cursu academico, patriam repetiit, et a Senatu ecclesiastico rite examinatus in numerum R. M. Candidatorum est receptus. Inter patronos, qui ipsum singulari beneuolentia, et liberalitate dignum iudicarunt, inprimis refert Ictum Constantinum accisarum, quas vocant, inspectorem, qui suos liberos ei instituendos commisit. Huic viro eiusque dulcissimae coniugi permulta beneficia se debere gratissimus praedicat, et omne felicitatis genus vt ipsis a Deo contingat, pie precatur. Perspecta igitur eius virtute et doctrina, in concedenda Magistri dignitate facile viri voluntati satisfaciendum esse existimauit Ordo noster.

IOANNES GODOLOBVS GVILIELMVS GRAU

Dobitzscheno-Alteburgicus.

Locus natalis huic est Dobitzschen prope Alteburgum, vbi natus est anno LIX patre Ioanne Augusto, medicinae Licentiatu, et matre Christiana Elisabetha, Eichleri concionatoris Grunbergensis filia. Puerum non modo pater erudiuit, verum etiam Heumannus, curator sacrorum in hoc pago, qui etiam eius paupertatem aliis liberalitatis et humanitatis generibus subleuauit, et quasi alter parens, defuncto patre carissimo, exitit, et litteris ita imbuit, vt anno LXXI in schola Ronneburgensi litteras profequi posset. Cum autem insigni premeretur inopia, prouidentia diuina patronos et benefactores ei conciliauit plures, in quibus numerat Grun-

rum



rum scholae Rectorem, Streitium Ephorum, Kroeberum consiliarium atque praefectum; Voigtium Gerstenbergiumque consiliarios; Müllerum vrbis Syndicum; Kletzius Archidiaconum, praeter nonnullos Ronneburgi mercatores. Horum virorum igitur beneficiis adiutus potuit septem per annos fere hanc scholam frequentare, quam anno LXXVIII cum academia non Ienensi, quam adire leges iubebant, sed Lipsiensi, ob cognatos, quorum nonnullos ibi habitare sciebat, commutavit, albo academico insertus a Pohlso Rectore. Ibi in philosophicis habuit praecipuos Seidlitium et Platnerum: in theologicis autem Körnerum, Burscherum, Dathium, Schwarzium, Morum, Hempelium, Pezoldium et Schaffenbergium. Inter eos, qui ipsum statim ab initio in hac vrbe beneficiis ornauere, refert Leonhardum, nunc apud Vitebergenses Professorem medicinae, et Eichlerum ad aedem diui Nicolai Pastorem. Leonhardi benignitatem praedicat gratissimus etiam propterea, quod commendauerit ipsum Treitschkio viro honestissimo, qui inde ab anno LXXXI suos liberos instituendos ei commisit, cuius liberalitatem summopere laudat et praedicat. Praeterea quoque Schraderi viri honestissimi benignitatem laudibus ornat, cuius se nunquam immemorem fore profiteretur. Misso nobis doctrinae specimine haud male scripto *de nonnullis requisitis bono vulgi doctōri necessariis docendi ratione*, honores magistri artium liberalium, quos decenter a nobis petierat, ei decernendos esse censuimus.

GOTTDANK FRIDERICVS DAEHNE

Doebela-Misnicus.

Natus Doebelae anno h. f. LXII, mature puer religionis litterarumque initia hausit partim ab ipso patre, Archidiacono apud Doebelenses, partim a magistris scholae patriae. Inde anno sec. LXXVI deductus in Afraneum, vltus est institutione Gottleberi, Milleri, Zschukii, Schregeri et Lüdikii. Quibus omnibus quamquam se multa debere fatetur: inprimis tamen Zschukii beneficia praedicat, qui ipsum in acuendo ingenio et peritōre ad virtutis studium formando permultum adiuerit. Anno LXXXII Lipsiam se contulit: vbi a b. Funkio, Rectore inter ciues academicos receptus, philosophiae discendae gratia sectatus est Platnerum et Seidlitium; historiam catholicam et sacram didicit ex Burschero et Hilfchero; scholas



graec. et lat. frequentauit Reizii et Clodii, et orientales Dathii et Scharffenbergii: theologiam dogm. et moralem hausit ex Moro et Koerner, praecepta interpretandorum librorum fac. ex eodem Moro, artem concionandi ex Koerner et Schwarzio, cui etiam interpretationem librorum symbolicorum debet. Exacto ita quadriennio, a summo Senatu Eccles. Dresdenfi R. M. Candidatis adscriptus est, atque a nobis, probata factis virtute et bonarum litterarum scientia, nuper Magistri honores adeptus est.

IOANNES GODOLOBVS HEYNOLD

Zeschwitio - Merseburgicus.

Est Zeschwitz pagus prope Zwenkam oppidulum agri Merseburgici. Ibi Noster anno h. f. LVII natus est patre Michaelae pagano, matre Ioanna Maria Heinziانا. Cum initia religionis et litterarum ab Heinzio auo et illius pagi ludimoderatore edoctus esset; educus est Halam in orphanotropheum, vbi per VIII annos amplius litteris operam dedit. Postea Lipsiam petiit, et Seidlitio Rectore anno LXXVIII ciuibus academicis infertus optimos praeceptores sectari coepit. Igitur Pezoldum audiuit philosophiam omnem theologiaeque dogmata tradentem et euangelium Ioannis explicantem. Frequentauit quoque Platneri scholas philosophicas et aestheticas. Historiam vniuers. eccles. et philosoph. Burschero et Beckio, patriam vero Boehmio et Wenkio debet. In dogmaticis, moralibus, exegeticis, homileticis et pastoralibus disciplinis praeceptores habuit Morum, Körnerum, Schwarzium, Wolfsum et Loefnerum: in hebraicis autem, Dathium, Boseckium et Scharffenbergium. Praeterea audiuit Morum et Eccium auctores classicos explicantes, Funkium mathesin tradentem et Ernestum rhetorica docentem. Ex Leskio historiae naturalis initia hausit. Idem interfuit scholis examinatoriis Schwarzii. Horum quidem omnium praeceptorum, Schwarzii inprimis, insignia erga se merita dignis laudibus extollit. Vt paupertatis vero impedimenta superaret; munificentia Perillustri L. B. de Hohenthal, qui, cum aliis modis, tum conuictum gratiose suppeditando eum subleuauit, factum est. Deinde praeter aut beneficia, laudat etiam liberalitatem Fregiae matronae ornatissimae et honestissimae; et inprimis celebrat Vollfaccii mercatoris celeberrimi

rimi maxima in se beneficia, qui filium erudiendum ei tradidit. Atque discipulo optimaе spei mortuo etiam nunc fruitur liberalitate filiorum Vollfacii; inprimis natu maximi, qui idem ei sumtus ad honores in philosophia summos consequendos suppeditavit. Eidem genti Vollfaciae debet etiam hoc beneficium, ut Heckerus, mercator Lipsiensis, suos liberos instituendos ei traderet; cuius benignitatem gratissimo animo praedicat. Cum honestatem et eruditionem non modo testimoniis virorum grauisimorum, sed et diatriba eleganter scripta *de utriusque et civilis et sacrae eloquentiae praestantia*, nobis satis commendasset; ex decreto Ordinis philosophici Magistri honores facile ei tribuimus.

DANIELIS ANDREAS SCHMIDT

Laubanus.

Laubae vrbe Lusatae celeberrima anno h. f. LVIII natus est patre Andrea, ciue et textore honestissimo, matre Martha, e gente Ditericorum, Patris cura mox magistris scholae Laubanensis, Beckerto, Koschio, Gobelio erudiendus est traditus; quorum erga se fidem et animum gratus agnoscit. Cum anno LXXXI Clodio Rectore in academiam Lipsiensem se contulisset: praeceptores habuit in philosophia omni Seidlitium, Pezoldum et Wilandum; in litteris humanioribus Clodium officia Ciceronis, et Hilscherum Suetonii Caesares explicantes; in historicis Burscherum et Hilscherum; in hebraicis Dathium et Hempelium; in theologicis vero Morum, Koernerum et Pezoldum. Inter patronos laudat liberalitatem Richteri, viri honestissimi, qui filium litteris et virtutis studio imbuedum eius curae atque disciplinae tradidit. Testimonio fide digno et scripto *de Essaeis eorumque etymo*, nobis exhibito, non dubitauimus, honores philosophicos ita, ut petierat, conferre.

CHRISTIANVS FRIDERICVS THEOPHILVS KVNZE

Thalhemo - Misnicus.

Est Thalhemium pagus in regione montana prope Chemnitium, vbi Noster patre Io. Theophilo, et matre Ioanna Concordia, anno huius sec. LXIV natus est. Doctrinae Christianae initia percepit ab huius pagi ludimode.



dimoderatore. Adultior factus in scholam Chemnicensem se contulit, ubi per quinquennium litteris operam dedit. Inde anno LXXXIII Lipsiam, Burschero Rectore, adiit, ibique disciplina usus est in theologicis Burscheri, Mori, Dathii et Pezoldi; in philosophicis Platneri et Seidlitzii: quibus omnibus semper se gratum animum esse seruaturum, profitetur. Cum in diatriba nobis exhibita ingenii et doctrinae specimina haud obscura dedisset: ab Ordine nostro magistrum artium dignitate est ornatus.

IOANNES CAROLVS FRIDERICVS TAVBNER

Geieranus.

Anno huius seculi LXV natus est Geieri in tractu metallifero, patre Christiano Friderico et matre Ioanna Sophia Richteria. Anno aetatis XII deductus est in scholam Grünhaynensem, ubi prima litterarum rudimenta posuit. Postea anno seculi LXXIX in scholam Chemnicensem se contulit, et ibi disciplina Rothii et Lessingii usus est per annos quinque. Anno LXXXIV academiam Lipsiensem adiit, et Wenkio Rectore in numerum civium relatus, praeceptores habuit Pezoldum et Platnerum in philosophicis; in theologia Morum, Burscherum, Koernerum, Schwarziuum, Rosenmüllerum, Dathium, Schleusnerum, Bossekium, Scharfenbergium et Pezoldum; in humanioribus Clodium et Reizium; in mathesi Borziuum. Ut in ambiendis Magistrum artium honoribus sese Ordini nostro commendaret: exhibuit libellum eleganter scriptum *de philosophiae ac disciplinarum vi hominum animos componendi moresque formandi*.

CAROLVS GODOLIBVS HOFMANN

Chemnicio-Milnicus.

Natus est Chemnicii anno h. f. LXII patre Godolibo Ianione, matre Christiana Rosina Hungera. Deductus in gymnasium patriae urbis praeceptoribus usus est Frenzelio, Boernerio, Kretschmaro, Lessingio, Rothio et Hagero. Deinde amore litterarum incensus parentes exoravit, ut ipsum in scholam Portensem mitterent: in quam etiam anno LXXXIX receptus est a Geislero Rectore, cuius erga se singularem amorem vehementer laudat. Hic per quatuor fere annos optima institutione usus est
Handii,

Handii, Beckeri, Bahrdii, Hildebrandi, Weiskii, Liebelii et Schmidii, quibus omnibus magnas agit gratias. Anno sec. LXXXIII Rectore de Winklero accessit ad academiam Lipsiensem, in qua praeter alios praecipue habuit doctores Seidlitium et Platnerum in philosophia, in mathesi Gehlerum et Hindeburgium, Beckium et Hilscherum in historia, in humanioribus Reizium, in hebraicis Scharfenbergium et Dathium, Morum denique et Rosenmüllerum in theologia. Cum nuper a nobis Magistri dignitatem peteret, adiunxit specimen *de meritis Melancthonis de sacrorum emendatione et litterarum restauratione*: vnde cognouimus, eius voluntati non esse repugnandum.

FRIDERICVS EHREGOTT WILHELMI

Erbisdorpio - Fribergicus.

Erbisdorpii prope Fribergam natus est anno h. f. LXV patre Carolo Friderico, tunc Diacono apud Erbisdorpienses, postea pastore Reichenbrandensi prope Chemnitium, matre Dorothea Eusebia Loescheria. Inde a tenerissima pueritia vsque ad annum aetatis decimum quintum fidelissima et diligentissima vsus disciplina patris optimi, postea institutioni Lessingii et Rothii in schola Chemnitienensi commissus est. Hinc anno LXXXIII se contulit Lipsiam, vbi a Wenkio Rectore in numerum discipulorum relatus, vsus est doctoribus in philosophia quidem Platnero, Moro in exegeticis, in humanioribus Reizio et Clodio, in hebraicis Scharfenbergio, in historia catholica Wenkio, in ecclesiastica et philosophica Burfchero, Hilschero in Saxonica, in theologia dogmatica Schwarzio. His viris cum fructu auditis, et eius doctrina a nobis intellecta ex scripto *de progressu philosophiae inter Germanos, postquam lingua Teutonica magis magisque fuit exulta*, non dubitauimus artium Magistri dignitatem, quam petierat, tribuere.

IOANNES GVILIELMVS LVDOVICVS HVNERKOCHE

Cothenio - Anhaltinus.

Cothenis anno h. f. LII natus est patre Io. Guilielmo, sacrorum ministro in pagis Gros- et Klein - Wülknitz; matre Anna Christiana Ruscha.
Optimi



Optimi parentes omnem adhibuerunt curam et diligentiam, vt mature aetas puerilis virtute et bonis litteris imbueretur. Praeter alios praeceptores in primis vsus est institutione patris vsque ad annum sec. LXIX: a quo tempore in gymnasio Serueftano vti coepit disciplina Lindingeri in theol. dogm. et morali, in hist. catholica et librorum sacrorum interpretatione; Koeslitti in philosophia theoretica, in practica autem Eberhardi; Menzelii in mathefi; in logica et Horatii odis cognoscendis Huchii. Bienio hic peracto, anno LXXI in academiam, quae Francofurti ad Viadrum floret, abiit, et ibi a Caussio Rectore in numerum ciuium academicorum receptus, scholas Stofchii frequentauit, vbi theologiam dogm. et polemiam, hist. eccles. et librorum sac. interpretationem didicit. Eiusdem Viri quoque interfuit scholis examinatoriis et disputatoriis. Theologiam moralem et pastoraalem ei tradidit Caussius. Interpretandi et concionandi praecepta docuerunt Toellner et Schulzius, quem etiam ritus Hebraeorum explicantem audiuit. Philosophiam docuit Dariesius et hist. catholicam Hausenius. Inde anno LXXIV in patriam redux per septem annos Cothenis et in pago Neugattersleben liberis honestissimorum parentum instituendis operam dedit. Hinc migravit Bremam, vbi cum maxime liberorum animum ad virtutis studium et bonas litteras format. Nos nuper Viro huic doctissimo, testimoniis nonnullis commendato, facile Magistri honores tribuimus.

C A R O L V S P A T E R

Lugduno-Gallus.

Natus est Lugduni, vrbe longe celeberrima Galliae, anno huius seculi XXXVIII, patre Bertrando Patero, mercatore honestissimo, matre Francisca Corderia de la Roche. Mature tradiderunt eum parentes in disciplinam praeceptorum probatorum, et litteris operam dedit in Collegio S. Trinitatis siue Ludouici Magni, in quo Illustriss. Comes de Belle Garde eodem tempore artes et disciplinas discebat. Nostro linguam lat. tradiderunt Vatorius et Pochardus, litteras humaniores Tolomasius et Mongesius, et Logierius, postea Concionator regius factus, rhetorica. Mortuis parentibus concessit Lutetias Parisiorum studiorum continuandorum gratia, vbi Alembertum, Marmontelium, Pironium et Poinfinetum habuit

buit praeceptores, quibus multum se debere profitetur. Hortatu fauorum postea se contulit Berolinum, ubi liberaliter et benigne exceptus est a Marquisio d'Argens. Inde a Stanislaio, Poloniarum Rege, quem literis submisit adierat, Lectoris et Scribae regii munus obtinuit, quod per aliquot annos gessit, et iussu Regis quasdam dissertationes scripsit, quas ipse Rex in Polonicam linguam vertendas curauit. Inde Lipsiam migravit, ubi per viginti annos iuuentutem academiae Lipsiensis linguam Gallicam docet. In praesenti gallice vertit Schroeckhii nostri historiam vniuersalem, in usum puerorum scriptam. Nos, cognita Viri honestate et doctrina, summos in Philosphia honores, quos ambierat, ei concessimus libenter.

IOANNES IACOBVS ACHTSNICH

Gedanensis.

Patrem habuit Ioannem Christophorum, mercatorem Gedanensem, qui Nostrum suscepit anno h. f. LXIV Gedani ex Florentina, Jacobi Heinii, pastoris Herzbergensis filia. Et si patre optimo, qui in eo educando nullis sumptibus pepererat, vix puer XIV annorum orbatus est: hanc iacturam tamen quo minus acerbe sentiret, factum est benignitate vitrici, Samuelis Vademrechtii, mercatoris quoque Gedanensis. Rationem studiorum secutus est hanc: sex annos natus in scholam diuae Barbarae deductus per V annos fundamenta religionis et litterarum didicit. Inde XI annos natus a Verpoortenio, Rectore gymnasii, inter discipulos est relatus. Hic habuit praeceptores Fridericum, R. M. Candidatum, in lingua latina, graeca et hebraica, physica, historia et geographia; in disciplinae theologicae Verpoortenium, in philosophicis Strausium, in mathematicis Bartoldum, in antiquitatibus romanis et rhetorica Cosackium, aliosque in variis disciplinis et linguis praeceptores fidelissimos, erga quos omnes se semper gratissimum animum habiturum esse profitetur. Horum virorum disciplina imbutus anno h. f. LXXXV iuuenis annorum XX in academiam Vitebergensem se contulit, et a Dresdio Rectore in numerum ciuium academicorum receptus est. Hic in doctrinis theologicae et philosophicis scholas Reinhardi frequentauit: Schroeckhii historis,






ricis, Titii physicis et Eberti mathematicis interfuit. Meas quoque priuatissimas latinas et graecas magna cum assiduitate et diligentia frequentauit. Praeterea praeceptoribus vsus est Oertelio in hebraicis, in expli- cando Suetonio et antiquitatibus romanis Henrico. Nuper nos, perse- cta Viri probitate et studio bonarum litterarum haud mediocri, ex decreto Ordinis nostri, magistri dignitatem, ambienti ei satisfacere non dubi- tauimus.

IOANNES AVGVSTVS GVILIELMVS POHLE

Lipsiensis.

Lipsiae anno h. s. LXI natus est patre Carolo Guilielmo, scholae pri- uatae magistro, matre Ioanna Christiana, e gente Wisneriana. Optimi hi parentes omnem adhibuerunt operam, vt eius animus mature ad sen- sum studiumque virtutis formaretur: nec quidquam neglexerunt, quod ad ingenium litteris imbuendum filii pertinere existimarent. Cum igitur a patre ipso et magistris priuatis in religione et litterarum initiis eruditus esset: in scholam Nicolaitanam anno s. LXXIII deductus, per quinque annos institutione magistrorum Thilii, Hübschmanni, Adami, Forwergii, Be- ringerique vsus est. Patre mortuo a matre optima magistris scholae Thomanae, Krigelio, Hofmanno, Thimio et Fischero traditus est. An- nis quatuor praeterlapsis anno LXXX a Borzio tunc Rectore in numerum ciuium academicorum Lipsiensium est relatus, et doctoribus vsus est, non sine fructu, Burschero, Moro, Körnero, Webero, Pezoldo, Leskio, Da- thio, Schwarzio, Boseckio, Scharffenbergio, Hempelio, Caesare, Hil- schero, Wilandio, Eccio aliisque, quorum maxima in ipsum merita se nunquam obliuioni traditurum esse gratissimus testatur. Postquam Fri- bergius, theologiae Candidatus, qui adhuc scholam patris administrauerat, munus sacerdotis acceperat: beneficio Senatus Lipsiensis inde ab an- no sec. LXXXI scholam patris continuauit. Quum nobis morum probi- tatem et litterarum bonarum scientiam non modo testimoniis, sed etiam diatriba de antiquitatis ueneratione eiusque causis quibusdam haud obscure probasset: precibus eius artium magistri dignitatem concessimus.




IOAN.

 IOANNES CAROLVS FRIDERICVS LANGE

Gaudisio - Lipsicus.

Natus est anno h. f. LIV Gaudisii prope Lipsiam, vbi pater Ioannes Gott-
helfius sacerdotii munere functus est. Parente mortuo, quod anno
LXXI accidit, cum matre Christiana Sibylla, Christiani Wechsleri apud
Zwochauiensis sacerdotis filia, Lipsiam migravit. Ibi in litteris huma-
nioribus b. Hebenstreitii et Tzschirneri, nunc apud Mitweydenfes Dia-
coni, priuata vsus est institutione. Inde ab anno LXXV publicis acade-
miae doctoribus vsus est. Etenim Clodio doctrinam moralem tradenti,
Archaeologiam mythologicam enarranti, Horatium, Virgilium, Tacitum
et Ciceronem interpretanti, scholas disputatorias et exercitationes in vtra-
que lingua habenti: nec non Körneri scholis dogmaticis, exegeticis et cri-
ticis: ac Mori exegeticis interfuit. Crusius, cognatus eius, theologiam
dogmaticam, Seidlitius et Pezoldus, similiter cognatus, philosophicam et
theologiam moralem cum docuerunt: Pezoldi scholis homiletico- practi-
cis in aede diui Pauli quoque interfuit. Praeterea dogmatices cursum,
duce Hebenstreitio, aliquoties profecutus est. Inde ab anno LXXVIII
cum generosissima gente Cubicularii primi ordinis de Hopfgarten, cuius
instituerat filium iam Lipsiae, Delitium se contulit. Sed anno LXXXI
eum quidam Mitweydenfes viri honestissimi liberorum suorum institu-
endorum gratia ad se inuitauerunt. Ex scripto nobis exhibito *de progressi-
bus in litteris, qui a philosophiae doctore expectari omni iure possunt*, cum
Magistri honoribus, quos humanissime petierat, haud indignum esse
indicauimus.

 CHRISTIANVS GODOLIBVS SAVER

Laubanus.

Laubam habet patriam, vbi anno h. f. LV a patre ante hos duo annos
mortuo, Ioanne Godolobo, pannifice, susceptus est ex Anna Rosina, Krau-
fii sandapilarii filia. Partim parentum egestate, partim belli septennis
grauitate, partim totius vrbis incendio, ad quae mala corporis aduersa

C 2

vale-



valetudo accesserat, factum est, ut ante decimum aetatis annum nulla fere frueretur institutione. Demum anno f. LXVI deductus in scholam triuiale per biennium praeceptis scribendi ac numeros tractandi institutus est. Cupiditatem eius lyceum frequentandi diu repressit patris timiditas. Verum paulo post à Scholarcha et lycei Rectore, qui quotannis triuales scholas obire solent, ut pueros, qui ipsis probantur, publicae urbis scholae adducant, praeter opinionem anno LXVIII inter lycei discipulos receptus est, sed patre inuito et diutius repugnante. Sed tandem cum spes facta esset, filium gratis disciplina scholastica uti et aliis beneficiis frui posse, exorari ille se passus est. Vfus est hic praeceptoribus Müllero, Budio, Beckerto, Koschio, et Goebelio. Horum disciplina imbutus, anno LXXXI scholam cum academia Lipsiensi mutauit. Vbi a Clodio Rectore in numerum discipulorum receptus, philosophicis disciplinis Seidlitio et Borzio ducibus operam dedit. In historicis habuit praeceptores Wenkium et Hilscherum. Scholis theologicis interfuit Burscheri, Schwarzii, Koernerii, Dathii, Hempelii, Pezoldi, Scharffenbergii et Schleusnerii. Etiam in academia, ut in schola, incommoda paupertatis expertus est. Huc accessit, quod dextra igne laesa de vita et manus iactura periclitaretur. Sed tamen Dei benignitate pristinae valetudini est restitutus. Praedicat patronorum, quorum nonnullos adhuc ipse ignorat, liberalitatem, qua eius egestati et miseriae succurrerint. Hunc Virum honestis moribus praeditum litterarumque bonarum peritum et adeo Magistri honoribus, qui nuper ei ab Ordine nostro sunt tributis non indignum esse, cum aliunde tum ex scripto *de Irae temperantia* intelleximus.

FRIDERICVS SIGISMVNDVS WÜRKER

Delitienfis.

Natus est Delitii anno huius sec. LXVI, patre Io. Augusto, cuius istius urbis, matre Ioanna Dorothea Bormannia. Optimi parentes inde a primis aetatis annis eius animum ad virtutis studium fingere studuerunt, et ingenii litteris excolendi causa eum magistris scholae Delitienfis, in his singulari disciplinae Bergeri, tunc scholae Rectoris, nunc Pastoris ecclesiae Zschernitienfis prope Delitium commiserunt; cuius doctrinam et erga se animum

animum valde laudat. Eiusdem Viri consilio quoque a patre missus est in scholam Electoralem Grimmensem anno LXXVI. In qua ut gratis et liberaliter aleretur instituereturque, Brehmensis Senatus auctoritate et commendatione factum est. Magistrorum huius scholae, Krebsii, Mückii, Hofmanni, Reichardi et Richteri fidem et singularis ega se benignitatis documenta gratus agnoscit. Ex hac schola honorifico ornatus testimonio dimissus est anno LXXXI, et Lipsiae a Borzio Rectore eius academicus factus, in omni philosophia Platnerum et Caesarem, in mathesi Borzium, in praeceptis iuris naturalis Sammetium doctores secutus est. Historiam catholicam et imperiorum ei tradiderunt Burscherus et Hilscherus. Cum animum ad theologiam discendam adiecisset; Schwarzzius, Dathius et Scharfenbergius libros V. T. Koernerus, Morus, Scharfenbergius libros N. T. ei explicarunt, theologiam dogmat. et moralem in scholis Körneri et Mori, ius canonicum apud Winklerum, theologiam pastorem apud Schwarzzius didicit; libros symbolicos Körner s., historiam eccles. N. T. Hilscherus, et V. T. et Reformationis Burscherus ei exposuerunt. In Patronis, qui beneficiis eum ornarunt, numerat primo Senatum Delitientsem, qui per triennium stipendio luculento subleuauit: tum Romanum Maximi filium Zebriow, Charcouii in minore Russia natum, contubernalem et amicum optimum, qui in patriam reuersus Theodoro Iesaiiae filio Saposchnikow, Viro Generosissimo, Consuli Lipsiae Roslico eum commendauit, cuius hospitio et beneficentia singulari frui ei contigisse gratissimo animo praedicat. Idem Patronus eum commendauit Matthaei, Professori et Docteri quondam suo in Vniuersitate litterarum Mosquensi, nunc illustris Afranei Rectori, qui liberos suos eius institutioni et disciplinae commisit. Cum viri doctrinam etiam ex honorifico testimonio, quo a Supremo Senatu Eccles. condecoratus inter R. M. Candidatos est receptus, intellexissemus; summos in philosophia honores facile ei concessimus.

FRANCISCVS VOLKMARVS CONRADVS POPPO

Atterwaschio-Lusat. Atterwaschio-Lusat.

Atterwaschium est pagus Lusatiae inferioris, ubi anno h. f. LXVIII natus est patre M. Henrico Godolubio, Pastore apud Atterwaschienes, ma-



tre Francisca Amalia, e gente Grapia. Ut initiis religionis ac litterarum institueretur, anno LXXX in scholam, quae est Glogouiae Silesiae vrbe, deductus est. Permultis ibi beneficiis se affectum esse gratus profitetur. Auunculus enim I. A. Grapius non secus atque filium parens indulgentissimus eum tractauit. Magistrorum scholae liberalitatem, velut Körneri benevolentiam singularem et Vhsii fidem et animum paternum summis extollit laudibus. Triennio hic, et quod excurrit, transacto, academiam Lipsiensem anno LXXXIV, Wenkio Rectore, adiit. Ibi in philosophicis Caesaris, Platneri et Ernesti, in philologicis Reizii et Beckii, in mathematicis Hiudeburgii, in historicis Wenkii scholas frequentauit. Cum vero primum medicinae studere sibi esset in animo; vniuersae historiae naturali, duce Leskio, operam dedit, eiusdem quoque zoologicas, botanicas, mineralogicas, et Hasi anatomicas scholas diligenter frequentauit. Sed patre anno LXXXVI mortuo, Lipsia relicta, Vitebergam, vt hic studio theologico operam daret, se contulit, et a Webero Rectore inter ciues academicos relatus, Tittmanni scholis theologicis, et Reinhardi disputatoriis interesse coepit. In historia eccles. Schroeckhium et hebraicis Antonium habuit doctores. Etiam Iehnichenii exercitationibus disputatoriis interest. Nobis cum doctrinam satis probasset; Magistri dignitatem ei recte tribui posse iudicauimus.

CAROLVS AVGVSTVS THEOPHILVS WAHLE

Gundorpio-Lipsicus.

Natus est quidem Gundorpii prope Lipsiam anno h. f. LX, patre Ioanne Friderico, pistore, et matre Christiana Rosina Catschia, sed mox, sedemutata, migrarunt Plauiam prope Dresdam parentes, qui eum omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri debet, erudiendum curarunt, Magistris igitur domesticis vsus vsque ad decimum septimum aetatis annum, matris de voluntate, patre iam mortuo, inter alumnos scholae prouincialis Misenenis receptus, per annos quinque hic litteris operam dedit. Tum, Platnero Rectore, anno LXXXIII, Lipsiam venit, vbi in disciplinis humanis diuinisque praeceptores habuit Burscherum, Schwarziuum, Morum, Schottum, Sammetium, Platnerum, Beckium aliosque. Superiori



Superiori anno cum R. M. Candidatis a Supr. Senatu Saxoniae Ecclesiastico adscriptus esset; reuersus Lipsiam auctoritate patronorum Magistri dignitatem a nobis petiit, quos, cognita Viri doctrina etiam ex diatriba exegetica ad Actor. Apost. cap. II, non denegauimus.

CHRISTIANVS GODARDVS PEZOLD

Hubertoburgo-Misnicus.

Hubertoburgi anno h. f. LV natus est patre Chr. Traugodio, tunc venatore, postea portitore apud Martisburgenses, et matre Chr. Charlotta Iacobi. Initiis religionis et litterarum imbutus disciplina priuata Trefkornii, nunc Pastoris apud Markranstadiensis, deductus est in scholam Martisburgensem, sed inde biennio post, anno LXX, inter alumnos scholae Roslebianaee receptus profecit ex institutione Schmuzeri, Schreberi, Silberi, Wankelii et Schuknechti ita, vt anno LXXVI honeste Lipsiam se conferre posset, Belio tunc Rectore. Ibi per triennium scholas philosophorum et theologorum celeberrimorum frequentauit. Postea autem, consilio mutato, animum ad artem medicam discendam adiecit. Ergo coepit adire scholas osteologicas et chirurgicas Ludewigii, botanicas Pohlilii, mathematicas Gehleri et Beringeri, Hassii anatomicas et physiologicas, b. Ludewigii, cui in experimentis instituendis a manibus fuit, physicas, Leskiique historiam naturalem tradentis, et alias aliorum. In praesenti victus comparandi causa non modo correctorem, quem vocant, agit, sed et libros exterorum in linguam vernaculam et anglicanam vertit. Ex specimine ad nos misso, quo refellit *opinionem eorum, qui mundum hunc putant in dies magis magisque decrefcere et imbecillioem reddi*, cum honoribus philosophicis, quos modeste petebat, non indignum esse cognouimus.




Wittenberg, Diss., Erg. Bd. 6, 1783/91



sb.

WD 1 P





856

1928 K 944

16,21

V I T A S
V I R O R V M C L A R I S S I M O R V M
A C D O C T I S S I M O R V M

Q V I B V S
S V M M I I N P H I L O S O P H I A H O N O R E S
R I T V S O L E M N I

A B
O R D I N E A C A D E M I A E V I T E B E R G E N S I S
P H I L O S O P H I C O

P R I D. K A L E N D. M A I A S
A. C. C I D I O C C L X X V I I
T R I B V T I S V N T

P R O P O S V I T
I O A N N E S C A R O L V S Z E V N I V S
P R O F. L I T T. G R. O R D. H. T. D E C A N V S.

V I T E B E R G A E
L I T T E R I S C A R O L I C H R I S T I A N I D Ü R R I T.
1 7 8 7.